

hominibus pecoribusque quibus fuerint adhibita omnem putredinem, omnem morbum, pestilentiam ac dolorem aliasque infestationes depellant. Bene autem sperare possumus (tametsi non omnino certi sumus) Ecclesiae preces in his et similibus a Christo exaudiendas esse, nisi obstet major utilitas vel peccatum utentium, etc.

V. Auribus appensum campanae sunt quae et ipsae benedicuntur, quia ad munus spirituale applicantur, ad convocandum scilicet in ecclesiam populum, ad stas officiorum et orationum horas indicandas, ad funera cum planctu deducenda, etc. Significant autem sonum tubae evangelicae, per apostolos in omnem terram exaudita; verbum item praedicationis ab omnibus Christicolis audiendum: unde in earum benedictione precatur Ecclesia: *Ut quicumque ad sonitum ejus convenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberi semper fidei catholicae documenta sectentur.*

Auxilium subministrant ad repellendas noxias tempestates, maxime quae per maleficium excitantur: uti testantur sagae earumque examinatio Grillandus, anno 1524. cui illarum una fassa est, se ad pulsum angelicae salutationis, dum a conventiculo nocturno reportaretur, a daemone perterritus depositam et relictam esse ad ripam juxta spineta, Binsfeld. de confess. malef. Deinde, ad devotionem in populo excitandam, diebus praesertim festivis, et in exequiis, uti precatur Ecclesia in earum benedictione: *Ut cum filii Christianorum clangorem campanae audierint, crescat in eis devotionis augmentum.*

VI. Ori competens, est panis, agnus paschalis, vinum S. Joannis, de quo alibi diximus, panis benedictus, Graecis eulogia dictus, a fidelibus sumebatur et pro munere mittebatur in signum unitatis et unanimatis christianae, ut patet ex epistola S. Paulini ad S. Augustinum, ut et ex alia ad Alypium. Erat autem typus s. eucharistiae, quae cum non semper digne percipi posset a fidelibus, memorialis saltem ejus eulogia sumebatur. Agnus paschalis in memoriam Christi innocentissimi agni pro nobis in paschate occisi benedicitur et sumitur.

Porro per eulogias mira saepe patrata sunt. S. Germanus feminam morti proximam earum liberatione sanitati mox restituit, apud Fortunatum, in ejus vita, to. III. Surii: S. Pacomius iis daemones expulit, ut in eodem tomo Surii: alii ex infirmitatibus convalere, plures beneficio illius panis, uti Dani a torminibus et capitis cruciatu per Elphegum Cantuariensem archiepiscopum, apud Osbertum, in ejus vita, tom. II. Surii. pistior quidam in vita S. Austregisili, tom. III. Surii, etc.

VII. Vertici decretum, sunt cineres benedicti ad initium quadragesimae. Sunt autem mortis et poenitentiae symbola. Mortis, quia in cinerem redigendi omnes: poenitentiae, quia veteres patres poenitentiam agere soliti in cinere et cilicio. Suscipimus illos in capite, ut moneamur a capite quadragesimae inchoare poenitentiam.

VIII. Pectoris monile sunt, quos vocamus agnos Dei, qui a pontifice tantum initio pontificatus ejus et deinde quolibet septennio benedicuntur sabbato in albis. Typi sunt veri Agni Dei, qui tollit peccata mundi: monent praeterea nos ut et ipsi agni simus, puritate et mansuetudine, quemadmodum agni de cera virgine candidissima confecti sunt.

Effectus indicat Urbanus V. papa, in ep. ad Joannem imp. Constantinop. Primus, est fulmina depellere: secundus, remissionem peccatorum adjuvare et venialia delere: tertius, parturientes feminas ad sui proles conservationem solari: quartus, incendia restinguere: quintus, a naufragio et aquarum periculis liberare: sextus, a subitanea morte praeservare: septimus, ab insidiis diaboli id est, conjurationibus, incantationibus et veneficiis, quae per federatos sibi exercet daemones, praeservare. Tertio, est experientia, talia praesidia per agnos Dei saepius obtenta fuisse: quod imprimis in historiis Indicis legere est. Scribit Antonius Gallutius, lib. VI. de vita Pii V. jussisse Pium pontificem, ut tumescentem in Tiberim ex alveoque summo populi Romani cum terrore parique periculo defluentem unum cereum ejusmodi orbiculum seu agnum Dei jactaret, quo facto confestim aqua impetus resedit. Idem auctor, l. II. scribit: Non ex loco mittendum, quod in hoc bello Belgico sub Albano duce magna omnium admiratione, atque utinam pari haereticorum ad rectam fidem conversione, divinitus accidisse, graves auctores memoriae mandarunt. Hispanum militem catholicum inter alios, quos peremerunt, ab Auranio captum, arborique alligatum impii milites haereticorum tormentorum ictibus occidere conati, tantum abfuit, ut illum confoderent, ut ne creberrimis quidem, ac vehementissimis ignitis globis in eum emissis, vel minimum laedere potuerint. Quo viso obstupefacti eum vestibus exuere coeperunt, rati hominem occultis quibusdam armis communitum, quae tormentorum vis penetrare non posset. Sed cum nihil in eo praesidii reperissent, praeter sacrum agnum e collo pendente ex iis, ut conjectura est, quos Pius V. primo sui pontificatus anno de more consecraverat (eorum namque magnum numerum in Hispaniam, Galliam, et Belgium, praesertim militibus pro fide catholica di-

micantibus distribuendos curaverat) hoc illi detracto, primo ictu transverberatus occubuit.

IX. Manuum quasi armilla, est palmae ramus, in die palmarum benedici et manu gestari solitus. Significat is victoriam Christi de mundo, peccato, diabolo reportatam: necnon eam quam et nos de iisdem reportare hostibus debemus. Admonemur ergo ramo seu potius folio palmae (quod gladii similitudinem refert) militiae cui nos adstrinximus, et roboris quod ad bellandum in confirmatione accepimus; ut nimirum gladium, quo vicit Christus, ipsi arripiamus vibremusque in hostes nostros: « Ut quemadmodum, inquit, Dorotheus abbas, doct. XV. hac de re loquens ille pro nobis pugnavit et vicit; ita et nos per ipsum victores esse possimus, portemusque pendencia collo (palmas scilicet et ramos olivarum) non solum ob victoriam, qua ille pro nobis vicit, sed etiam ob eam, qua et nos per ipsum vicimus. » Denique, ut viventibus honorum et operum ramis, una cum Hebraeis Domino obviam eamus. Effectus quos illis precatur a Deo Ecclesia, sunt: primus, benedictio mentis et corporis in salutis remedium et gratiam obtinendam: secundus, ut quocumque importati fuerint, ibi habitatores omni adversitate fugata, dextera Dei protegantur: *Valent etiam contra fulmina, fulgura et tempestates, et contra quaslibet cavodemonis in perniciem humanam machinationes, inquit p. Gretserus, lib. II. de bened. cap. XLII.*

X. Renibus alligandum est zona seu cingulum. Legimus enim zonas a viris s. benedictas, quarum gestatione mulieres vel post sterilitatem fecundarentur, vel difficili partu laborantes liberarentur, cujusmodi beneficia obtenta fuisse non semel per zonas, quas benedixit S. Theodorus Sicaeorum archimandrita, scribit Gregorius presbyter, in ejus vita. Benedicuntur etiamnum et donantur a fratribus S. Francisci, cingula ab eodem sancto ad castitatem obtinendam, sive ad tetram libidinem, quae in renibus sedem figit, coercendam. Monet proinde eos, qui tali singule gaudent, observanda castitatis et devotionis ad Franciscum gerenda.

Pleraque haec ab antiquis temporibus per summos pontifices et receptas Ecclesiae consuetudines tradita habemus, ita ut primam eorum originem nequeamus designare; proinde juxta regulam illam S. Augustini: Id, cujus origo nescitur, neque plenariis Conciliis introductum est, non nisi ad apostolicam originem revocetur; jure possumus credere, ab apostolis inventa et Ecclesiae ad ornatum, solatium, praesidium provisa esse.

Quare, auditores, sacris his amuletis secure et

pie utamur; sponsi enim animarum nostrarum, Christi, donaria sunt, per ejus servos nobis oblata. Imprimis vero optandum, ut sint nobis, si non praesidia saltem monilia seu memorialia officii et status nostri, fideique Christo datae, ut ita sponso nostro arctissime et fidelissime adhaeremus, donec ad caelestes nuptias ab ipso evocemur, etc.

CONCIO XIV.

GLORIA ECCLESIAE CATHOLICAE.

I. Ecclesia signum magnum: 1. Velut miraculum. 2. Velut vexillum. 3. Velut scopus. — II. Apparuit in caelo. — III. Mulier dicitur. — IV. Amicta sole: 1. Tamquam indumento. 2. Tamquam munimento. 3. Tamquam ornamento. — V. Luna sub pedibus: 1. Propter ejus stabilitatem. 2. Propter ejus generositatem. 3. Propter ejus auctoritatem. — VI. In capite ejus corona stellarum duodecim.

THEMA.

Signum magnum apparuit in caelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. Apoc. XII.

Duo templa Jerosolymis, eodem in loco aedificata fuisse docent sacrae litterae; alterum a Salomone ante Babylonicam captivitatem; alterum a Zorobabele post eandem captivitatem. Tertium non aedificandum; et posterius priore nobilius fore praedixit Aggaeus, cap. II. dicens de secundo templo: Magna erit gloria domus istius novissimae plusquam primae. Ratio eodem capite datur; quia scilicet: *Venit desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.* Quod quidem factum, cum Christus in templo oblatus est, docuit et oravit, etc. S. August. lib. XVIII. de civit. cap. XLV. asserit: primum illud templum Salomonis scilicet significasse synagogam; secundum vero Zorobabelis. Ecclesiam; et illam ab hac longe superandam gloria. Quod sane non difficile ostendi potest. Et quidem S. Joannes, Apoc. XII. Ecclesiae gloriam secundum litteram depinxit, dicens: *Signum apparuit in caelo; mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, in capite ejus corona stellarum duodecim.* Quoniam igitur hodie solemniter celebramus non tam gloriam materialis hujus domus, quam Ecclesiae totius, merito de ejus gloria loquemur.

I. Ecclesia est signum magnum triplici acceptione, quam potissimum habet in sacris litteris, signum, scilicet pro miraculo, pro vexillo pro scopo. Primo, est miraculum, et magnum quidem

miraculum, sive ejus incrementum consideres quo in immensum excrevit, et cum esset primo granum sinapis, major facta est omnibus regnis et extendit ramos suos per universum mundum; sive ejus cultores et propagatores, qui piscatores et rudes ac pauculi erant; sive media, quibus propagata est, quæ non erant hastæ aut bombardæ, sed dogmata tantum nova, difficilia creditu, terrenis auribus molesta et odiosa; sive progressum, quem habuit inter innumeras et perpetuas persecutiones gentilium et hæreticorum; sive denique ejus firmitatem et durationem spectes, quæ tot jam sæculis inconcussa perstitit.

Secundo, vexillum est et magnum quidem totique orbi conspicuum, quod erexit in mundo Deus ad congregandos sibi spirituales milites, pugnantibus contra spiritualia nequitia, qui sub eo militantes coronam gloriæ merentur. Quod quidem vexillum ingentem edidit stragem in castris diaboli, quia innumerabilem hominum multitudinem ei abstraxit, et ad cælestia castra adduxit; quemadmodum prædictum Isa. XI. *Elevabit signum in nationes et congregabit dispersos Israel.*

Tertio, est scopus, in quem omnes tyranni et hæresiarchæ persecutionum et hæresum suarum sagittas collimarunt, ut merito dicere possit in Thren. III. *Posuit me quasi signum ad sagittam.* Et quidem scopus est, quem facile omnes poterant tangere, sed nemo penetrare: *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea,* ait Psalm. CXXVIII, *etenim non potuerunt mihi.* Causa nimirum est quia hoc signum est in cælo, hoc est, in Dei gremio et tutela.

II. Apparuit in cælo. Primo, quia Ecclesia de cælo originem suam habet; e cælo enim suam prædestinationem, virtutes et merita accipit; de hoc alibi latius: secundo, quia ad cælum tendit, et secundum unam sui partem jam ad cælum pervenit, secundum alteram adhuc eo pergit: tertio, quia in terris cælestem vitam agit.

III. Mulier dicitur, primo, quia ad instar Evæ a Christi dormientis in cruce latere formata est, ut expendit August. lib. de symb. de catech. c. VI. Secundo quia per fidem ei desponsata est; ideo passim in sacris litteris sponsa ejus vocatur; unde et subesse ac parere fidemque illi servare debet, quemadmodum et Christus velut sponsus eam regit, nutrit, tuetur, etc. Tertio, quia a Christo fecundatur, operante Spiritu sancto ut innumeros pariat Christo filios; quam ob causam ab eodem in Canticis columba vocatur; quia cum summa puritate et innocentia summam fecunditatem conjunctam habet, columba siquidem fecundissima est, et in singulis mensibus prolificat.

IV. Amicta sole, id est, Christo, qui est sol justitiæ Malach. IV. Circumdata primo, tamquam indumento, quemadmodum ipsa confitetur Isaia LXI. dicens: *Induit me vestimentis salutis,* (alii transferunt: *Induit me vestimentum Jesum*: « Induere autem Christum, inquit D. Chrysostomus, hom. XXV. in epist. ad Roman. est undique in nobis per sanctimoniam et mansuetudinem Christum conspicuum esse; homo enim indutus id esse videtur, quod indutus est: appareat itaque in nobis Christus. » Sic ille. Ergo Ecclesia Christo amicta est quia ejus vivendi normam sequitur et virtutes imitatur, omnia ejus dicta et præcepta recipit, et observare studet: non tantum ea, quæ blanda et suavia sunt sed etiam, quæ aspera et austera. Christus vitam cælibem et castam vixit, invitavitque alios ad eandem: Ecclesia cœlibatam et castitatem in pretio habet. Christus factus est obediens usque ad mortem; instituit etiam obedientiam sub prælato voluntariam: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, etc. obedientiam in Ecclesia floret, tum generatim erga magistratum ecclesiasticum et civilem, tum speciatim erga superiores suos apud religiosos. Christus observavit et suasit voluntariam paupertatem: eandem observat in religiosis suis Ecclesia, non tantum monachis, sed etiam militibus. Christus jejunavit, jejunat et Ecclesia. Christus pernoctavit in orationibus, orationes et laudes nocte dieque assidue in templis peragit Ecclesia. Christus timorem Dei et angustam cœli portam arctamque viam nobis inculcavit, inculcat et Ecclesia; et ita in cæteris. Ecce quomodo amicta Christo Ecclesia? Non fert, nec ferre potest hunc amictum hæresis nostri præsertim temporis Lutherana et Calviniana. Cœlibatui et castitati reclamant Lutherus voce illa: Si uxor nolit, veniat ancilla: et facti ipsorum cœlibatam sustulit, uti et Calvinus. Obedientiæ, quia ex utriusque doctrina rebellio subditorum erga dominos in Germania et Gallia exorta est, principes imperii et olim et nunc adversus Cæsarem excitati sunt, Saxo olim, nuper Palatinus. Paupertati, quoniam nemo unus illorum est, qui spreto mundo et abdicatis opibus voluntariam sequatur. Jejunia irrident Lutherani et Calviniani. Pro nocturnis precibus aliisque sacris exercitiis, stertunt, potitant, ludunt blasphemant: audiatur prædicans Andreas Musculus, dom. prima adventus: « Cum nobis Lutheranis ita agitur hoc tempore: ut si quis videre velit ingentem turbam nebulozum, hominum turbulentorum, fallacium, impostorum, fœneratorum, civitatem aliquam adeat in qua evangelium pure (Lutherane) prædicatur, catervatim tales tibi reperiet. Nam meridiana lu-

ce clarius est, quod hominum effrætorum et indomitorum, apud quos omnis virtus et honestas penitus extincta est, et apud quos pro peccato nihil reputatur, nusquam plures ne quidem apud ethnicos, Turcas, alios infideles, quam apud evangelicos, apud quos omnia diabolo fræna laxata sunt, reperiantur. » Hæc ille de suis.

Insanit; non est hoc induere Christum. Audite apostolum ad Rom. XIII. *Non in commensationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudiciis, non in contentione et æmulatione, sed induimini Dominum Jesum Christum, etc.* Sed quid mirum? Hanc illis vestem ipsimet eorum doctores induerunt: quidquid asperum Christus docuit et fecit respuerunt, blanda solum elegerunt, illi solum: *Qui crederit et baptizatus fuerit, salvus erit*: tacent vero illud: *Omnis arbor quæ non fecerit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur*; clamant solum illud: *Omnis caro salva fiet*: tacent vero istud: *Quam arcta est via et quam angusta est porta, quæ ducit ad vitam?* Et observant illud: *Quod intrat per os, non coinquinat hominem, etc.* Nihil dicunt de jejuniis Christi et de illo: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione et jejuniis.* Prædicant Dei misericordiam et cælum; tacent justitiam et infernum. Qua in re imitantur Patroclum illum, qui, ut scribit Plutarchus, in bellum proditurus, reliqua quidem Achillis arma sibi sumpsit, solam hastam ut prævalidam non attigit. Ad eundem modum sectæ hæreticorum, induunt et tantum Christi indumenta, quæ nihil grave aut asperum habent: observant Christum manducantem non jejunantem: audiunt extolentem fidem, non audiunt requirentem opera: audiunt pollicentem cælum, non audiunt minitantem gehennam: audiunt dicentem *Qui sitit, veniat ad me et bibat*: non audiunt dicentem: *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus,* Matthæi X.

Secundo, tamquam munimento, seu thorace æneo, contra hostium insultus. Sic enim Ezech. XXXIV. ait Deus: *Ero pastor ipsorum et ero prope ipsos sicut tunica prope corpus ipsorum* (sic enim legit Clemens Alexand. libro I. pædagog. capite IX.) Nec vero periculum est, ut penetretur ea tunica, quia fortissima est. Audi Isaiam, cap. XXVI. *In die illa cantabitur canticum istud in terra, Juda: Urbs fortitudinis nostræ Sion: salvator ponetur in ea murus et æntemurale.* Non enim contentus est Christus, dedisse Ecclesiæ rectores et pastores, angelos item custodes; vult insuper esse quasi murus et propugnaculum Ecclesiæ, et omnes ictus in eam jactos excipere atque elidere: unde Græce habetur, circumamicta sole. Ac ne procul eundum sit, apparuit sane his annis, quam prope

nobiscum fuerit Dominus, quumque amicerit undique Ecclesiam catholicam in patria nostra.

Quando enim non triumphavit de hæreticis? Quid non cladis illis intulit? Quid non inferre poterat, si modo voluisset? Convenerunt principes hæreticorum ut dimicarent contra Ecclesiam, et nullum non moverunt lapidem, ut desiderio suo potirentur: in fœdus et societatem acciverunt exteros principes, et si non omnino Turcam, ejus tamen vassallum. Concessere pecunias, instruxere acies et machinas, jam distribuere spolia antequam pugnarent (ita certam sperabant victoriam) unus hanc, alter aliam sibi eligere episcopalem sedem: designatus locus, ubi spolia essent partienda. Accesserunt crebræ orationes quas hebdomatim instituere, etc. ecce pseudo prophetas, invocantes suum Baal. Ex altera parte etiam nos aciem instruximus et Deum nostrum pro Ecclesia sua deprecari sumus cum Elia. Utræ igitur pars audita est? Certe illi mutum repetere Deum suum, perdere quæ injuste rapuere: detectæ sunt eorum technæ: cæsi eorum duces et fugati perdidere cum alienis sedibus etiam proprias. Sed forte in diversorio est vester Deus, inquit Elias, aut in itinere, aut certe dormit: clamate ergo voce majore ut excitetur. Sed ulla vox, nec respondit illis Deus, nec attendit orantes, quia contra Ecclesiam illius arma gerebant. Aspicite potius ad Ecclesiam catholicam et videbitis Deum fuisse cum illa; videbitis amictam seu mulierem, et bene sole, quia Ecclesia pugnabat pro fide veritate et justitia: hæretici vero contra hæc omnia, ideoque radiis Ecclesiæ perstricti sunt eorum oculi. Quemadmodum ergo solis lumen non tolerant feræ noxiæ et lucifugæ; sic Ecclesiam hæretici Hujusmodi lumen accensum est illis cum eorum technæ deprehensæ, typis evulgatæ sunt, unde eorum fraudes, et malitiæ detectæ. Videtur mihi ea re effectum, quod effecit Dominus, cum scribendo digito in terram confudit accusatores aduleræ, volentes eam lapidare, Joan. VIII. ita ut unus post unum exiret et remaneret Jesus cum muliere solus. Qualis vero ea scriptio fuit, quæ Judæos expulit? S. Hieron. lib. II. contra Pelag. cap. VI. et gl. interlin. putant scripsisse Dominum peccata accusatorum; quorum intuitu illi confusi se proripuerunt. Sic vere contigit hæreticorum ducibus, qui cum Ecclesiam (forte exigentibus aliquibus ejus peccatis) lapidare vellent, detectis eorum fraudibus, alter post alterum se abdidit et ab eo incepto destitit. Remansit vero cum Ecclesia solus Jesus, quod prædixerat quidem prædicans, ut alibi diximus: Mulier, ubi sunt, qui te condemnabant?

Tertio, tamquam ornamento: quomodo enim

non pulcherrimus erit amictus luminis solaris? Quid pulchrius et amabilius sole? Et hoc est quod Psal. XLIV. dicitur Christo sponso: Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate: et ad Ephes. V. dicitur Christus exhibuisse sibi Ecclesiam: *Gloriosam, non habentem maculam aut rugam*. Gloriosa autem cernitur Ecclesia primo, ob purissimam doctrinam ejus et sanctissimas leges, quæ nihil turpe permittunt, multo minus docent, nihil non rationi et legi Dei conforme: secundo, ob virtutum splendorem qui etsi non in omnibus Ecclesiæ membris, in plurimis tamen cernitur, et fulget inter omnes sectas, Turcarum, Judæorum, gentilium, hæreticorum; quæ enim alia secta, quæ ita urgeat studium virtutum et observationem mandatorum ac ipsa? Ubi etiam studium perfectionis ita exercetur, uti in Ecclesiæ religionibus et ordinibus? Tertio, ob eximium Dei cultum, quem aliis omnibus sectis maximum Deo exhibet: ad quem pertinent tot insignes templorum fabricæ, aurea et argentea vasa, pretiosæ vestes, variæ et pulcherrimæ cæremonie, solemnitates, divinæ laudes et preces, ordinum dignitates, etc.

Quarto, ob pulcherrimum ordinem et ministeriorum divisionem ac subordinationem, qua totum regit mundum christianum. Sub papa immediate sunt patriarchæ, sub his archiepiscopi, sub his episcopi, sub his abbates, præpositi, decani, parochi, sub istis inferiores ordines. Unde Ecclesia dicitur terribilis ut castrorum acies ordinata; et in hoc imitatur Ecclesiam triumphantem. Nihil ejusmodi ornatus habent nostræ sectæ. Impura sunt eorum dogmata, maxime cum docent Deum auctorem esse peccati, cum tollunt liberum arbitrium, cum mandata Dei impossibilia dicunt, etc. Nullum virtutum eis exercitium; quia secundum eos bona opera sunt peccata, nihil merentur, magis impediunt; præcepta servare nequeunt, etc. Unde nihil singulare habent cur Judæis, Turcis et gentibus admirationi sint. Nullus item divinus cultus, sublatus sacrificium; cæremonie, altaria, imagines, sacramentorum frequentatio; nullus etiam ordo et varietas officiorum; una vivendi ratio; nulla ordinum et statuum diversitas, merum chaos.

V. Lunam sub pedibus ejus, primo, propter ejus immobilitatem; quia enim luna inconstantia symbolum est, propter menstruas suas defectiones: sol vero, quo amicta est Ecclesia, constantia, propter luminis sui perpetuam stabilitatem, ideo lunam habet sub pedibus, id est, mobilitatem pedibus calcatur. Omnes quotquot fuerunt hæreses, lunæ fuerunt, de repente ortæ sunt et paulatim excreverunt, sed paulo post iterum immi-

nute, post sæculum omnino tandem defecerunt; omnes post Ecclesiam exortæ et ante Ecclesiam extinctæ sunt, bene itaque S. Hilarius fides hæreticorum vocavit *bimestres, et trimestres*. Annon id videre est in secta Lutherana? Primum jubileum suum ante paucos annos celebravit: sed quam exiguus fuit ante centum annos Lutheranorum numerus? Et nunc quomodo decreverit et adhuc quotidie deficiat, quis non videt? Annon plane exaruit? Tametsi enim multi sunt, quos Lutheranos vocamus, tamen paucissimi sunt, qui ipsa dogmata Lutheri, ut tradita sunt, integra et inviolata custodiant, sed ad Calvinii partes transierunt. Et si nunc Lutherus ab inferis rediret, periculum esset, ne ullum inveniret, qui se recognosceret. Sed nec ipse sua dogmata cognosceret: ita nepotes, ac posterii ejus in aliam formam Lutheranorum evangelium redegerunt. Id ipsum eveniet Calvinismo et quæcumque sectæ in posterum orientur. Sola Ecclesia Romana mobilitati subjecta non est, sed stabit usque ad finem mundi. Sæpe capta et eversa fuit Roma, sæpe dominos mutavit: nunc eam principes pagani, nunc imperatores christiani, nunc reges Ariani tenuerunt, ejus tamen fides nunquam mota est. Cecidit sedes Augusti, sed tamen Petri suo loco stetit. Interrumpi potuit series imperatorum Romanorum: sed Petri successorum pontificum non potuit interrumpi. Tametsi vero Ecclesia in aliquibus orbis partibus eclipsim et obscuracionem aliquam pati potest a luna hæreseos, non ideo tamen non lucebit in aliis partibus, imo cum in uno loco deficit, in alio splendere incipit, uti modo in India, Japonia, China, Peru, etc. dum Germaniæ splendorem subtrahit. Clamant hæretici: Non erant in Ecclesia temporibus apostolorum tot templa, tot aurea vasa, tot cæremonie, tot festa, tot ordines et monasteria, tot episcopatus, etc. Quomodo igitur non mutatur Ecclesia catholica? Sed aliud est crescere Ecclesiam, aliud decrescere et deficere. Crescere debuit in his et similibus Ecclesia. Num enim quia in septembri vix herba est in agris, ideo in julio messis non erit? Et quia puer in primis annis edentulus et imberbis est, ideo in virili ætate dentibus et barba carere debet? Crevit igitur Ecclesia et multum crevit sapientia, scientia, ornatu, ordine, cultu uti et numero: non ideo tamen eadem Ecclesia non est aut propterea aliquando deficiet.

Secundo, propter ejus generositatem, qua sublimaria bona omnia spernit et per contemptum calcatur, fastum mundi, superbas opes, regum coronas, delicias et voluptates et præ illis Deo placere eligit ac bona sua in cælo quærunt et expectant. Sic exponit S. Gregorius, lib. XXXIV. moral. cap.

VII. quem alii sequuntur: « In luna, (inquit,) quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur. Sancta igitur Ecclesia, quia superne luminis splendore protegitur, quasi sole vestitur: quis vero cuncta temporalia despiciat, lunam sub pedibus premit. » Sic ille.

Favet huic expositioni vetus nobilium Romanorum mos, qui in signum nobilitatis gestabant lunas in calceis, teste Plutarch. in qq. Roman. LXXVI. Ejusmodi vero lunam non in calceis gerit, sed sub pedibus premit Ecclesia, quia renuit terrena, quæ offert mundus, bona, celestia desiderat, et cum Davide ait: *Quid mihi est in cælo et a te quid volui super terram?* Psal. LXXII. Non vult ditari Ecclesia a mundo: usque adeo excelsi animi est; quemadmodum et Abraham noluit ditari a rege Sodomorum, Gen. XIV. quia expectabat pro mercede Deum. Et hoc partim affectu facit Ecclesia, in iis scilicet membris suis, quæ bonis suis quidem se non abdicant, in iis tamen summum bonum suum non reponunt: partim etiam effectu, in tot millibus viris et mulieribus, qui spreto mundo, sprete libertate, spretis nuptiis, spretis parentibus et amicis, spretis honoribus, coronis et opibus, religiones intrant, paupertatem, humilitatem, obedientiam, castitatem amplectuntur. Quæ res exigua non est. Conferte christiana tempora cum antiquo philosophorum tempore, si tunc gentiles vel unum hominem vidissent opes et honores contemnere, totus mundus admirabatur: ita ut unius Epicteti lucernam tribus millibus drachmarum, ob ejus vitæ admirationem venditam fuisse Lucianus tradat. At christianis temporibus doctrina evangelii coruscante quot millia id fecerunt, non vivorum tantum, sed et mulierum, juvenum, senum, nobilium, divitum? Non habent etiam hæreticorum synagogæ heroicum illum animum, quo spretis mundi bonis sectentur perfectionem evangelicam, non habent eunuchos, qui seipsos castrent propter regnum Dei, qui patrem et matrem propter Christum relinquunt: habet vero Ecclesia et quidem ingenti numero, qui non tantum verbis sed factis etiam ostendunt fieri posse, quæ ipsi fieri posse negant. In uno Florentiæ oppido non ignoto, non pauciora quam sexaginta virginum numerantur monasteria, et in plerisque ducentæ aut trecentæ vel etiam plures virginæ Deo sacræ angelicam vitam ducunt. Tertio, propter ejus auctoritatem. Quemadmodum enim Ecclesia soli, sic regna secularia lunæ sunt simillima, uti scribit Innocent. III. papa ad imperatorem Constantini. ubi habetur, lib. I. decretal. LXXXIII. c. *Solida*, siquidem ista et innovantur et deficiunt. Lunam ergo sub pedibus habet Ecclesia, quia

subjectos sibi imperatores et reges habet, qui volentes et lubentes ad pedes ejus accedunt ejusque gubernationi se promptissime submitunt, et gloriæ loco ducunt Ecclesiæ famulari. Quia de re Isaias, cap. LX. dicit: *Gens et regnum, quod non servierit tibi, peribit*: et iterum: *Et venient ad te curvi filii eorum: qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum, etc.* et iterum: *Ponam te in superbiam sæculorum; et suges lac gentium et mammilla regum lactaberis*. Quid gloriosus dici poterat? Quasi diceret: Certabunt reges, ut servire tibi possint, et inde superbient: insuper etiam maximis donariis et privilegiis te afficient. Cujus rei exemplum patet in Constantino Magno, qui sibi honori duxit, quod ad extractionem templi S. Petri primus duodecim corbes humeris suis efferre de fundamento posset; item quod ante januam templi S. Petri, ad pedes piscatoris, ut ipse vocabatur, sepeliri posset. Quinetiam imperatores omnes confirmationem a pontifice petere habent: et cum imperator Romæ adest, pontifici manus lavanti aquam fundit, primum ferculum apponit, equum ascensuro stapediam tenet, et equum ad aliquot passus ducit. Denique, in necessitate transfert imperia, sicut fecit Stephanus papa III. transferendo imperium a Græcis ad Carolum Magnum et Francos.

VI. In capite ejus corona stellarum duodecim: stellæ istæ primo, sunt duodecim apostoli; deinde, eorum successores et sectatores, omnes viri sancti (siquidem duodenarius numerus universitatis est) qui caput Ecclesiæ, id est, Christum coronant, et quodammodo in universo orbe regem constituunt. De illis enim dicitur, Dan. XII. *Quid ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates*. Illustrant vero illi Ecclesiam et Christum triplici splendore. Primo, sanctitatis eximie: secundo, sapientiæ profundæ: tertio, miraculorum. Quemadmodum enim in Deo maxime eminet bonitas, sapientia, potentia, sic viros sanctos ut sibi simillimos reddat. In primis quanta sanctitate luxerint in Ecclesia apostoli, episcopi et doctores, anachoretæ et monachi innumeri, quis est, qui nesciat? Quinam fuere nostri primi apostoli et præcones sacri? Nonne Bonifacius, Rupertus, Wilibaldus, Kilianus, Vigilius, Corbinianus, Udalricus, Wolfgangus, etc? Quinam omnes alii sancti, qui passim in martyrologiis reponuntur? Nonne omnes sanctissimæ vitæ fuere? Et nonne omnes catholici? Monstretur vel unus hæreticus. Et vero fulget etiam quædam Ecclesia talibus sanctis. Nuper simul quinque in album sanctorum sunt relati post diuturnum et exactissimum examen et gravissima testimonia sanctitatis: nimirum S. Ignatius Loiola, S. Franciscus

Xaverius, S. Philippus Nereus, S. Isidorus pastor, S. Theresia. Utinam ejusmodi certamen cum prædicantibus inirliceret, quale habuit cum Judæo Christianus; cum enim contenderet plures esse sanctos legis suæ veteris, quam nostræ novæ, et pacisci vellet, ut quoties quis sanctum ex suis recenseret, toties altari crinem e barba velleret: ratum habuit Christianus. Et mox Judæus, Abraham inquit, et crinem ei extrahit: Christianus, Petrus, subdit, et similiter crinem Judæo evellit: Judæus Isaac: Christianus Paulus, etc. Christianus vero tandem moræ impatiens barbam Judæi totam apprehendit et simul evellit dicendo: *S. Ursula cum undecim millibus virginibus*. Scio, inquam, omnes Prædicantium barbas extrahendas fore cum mihi nec pilum eripere possent. Sapientia fulserunt mirabili, ut videre est in eorum libris, qui plusquam humano ingenio scripti apparent, ut opera S. Aug. S. Chrysostomi, cui S. Paulus multa dictasse creditur: Hieron. Gregorii in cujus capite sæpe columba sedere visa est: S. Bernardi qui merito Theodidactus dicitur et apparet in scriptis suis: S. Thomæ Aquinatis, qui cum ad summam theologiæ cognitionem pervenisset, fratri suo Reginaldo dicebat, se quidquid sciret non tam studio, aut labore, quam divinitus traditum accepisse. Carent etiam hoc splendore sectæ nostræ præsertim, qui fere rudissimos edunt libros. Et si forte quem doctiorem apostatam nanciscuntur, quasi pro Deo habent. Sidera errantia sunt, et tamen eos vulgus pro stella polari habet et sequitur.

Tertio, luxere miraculis innumeris vivi et mortui: qualibus plenæ sunt vitæ eorum: quæ tanto numero, tot circumstantiis a tam probatis auctoribus conscriptæ, quis nisi insanus neget? Legat quis vitas apostolorum vel Germaniæ tantum, S. Udalrici, S. Wilibaldi, S. Corbiniani, S. Wolfgangi, etc. Quanta illic miracula? Nihil simile edidit hæresiarchæ, non attulerunt litteras testimoniales suæ missionis a Deo. Ecce igitur cæca Germania eos recipit? Gigantuli sunt infirmi, qui nec unum pulicem quidem ad vitam reducere potuerunt.

CONCIO XV.

MYSTERIA.

I. Cur Christus Jericho pertransiit? — II. Quomodo restaurata Jericho? — III. Quis Zacchæus? — IV. Quid sycomorus? — V. Quare Christus seipsum invitavit? — VI. Quid et quantum dimisit Zacchæus? — VII. Cur quadruplum restituit? — VIII. An solus crediderit Zacchæus? — IX. Zacchæus cur filius Abraham?

THEMA.

Ingressus perambulabat Jericho. Luc. XIX.

Sane videmus, auditores, vel in hodierno evangelio, multos quidem vocatos, paucos vero electos esse. Videte urbem Jericho. Misit olim Josue ad eam duos exploratores suos occupaturus terram promissam. Qui suscepti in domum Rahab meretricis, ab eaque de insidiis regis liberati, salutem ejus domui promiserunt et dedere; quando paulo post urbs tota ab Hebræis devastata, sola domus Rahab incolumis servata est, Jos. II. et VI. Rursum in hodierno evangelio, ubi Christus verus Josue, Hierosolymam iturus et mundum totum passione sua sibi subjecturus, perambulavit eandem Jericho, una Zacchæi principis Publicanorum domus salutem consecuta est; quia nimirum solus ipse Christum suscepit, cæteris obmurantibus, ideoque a Christo posthabitis. Quodque magis mirandum, ibi domus meretricis, hic domus Publicani servata est et coram Deo gratiam invenit. Unde verissimum esse cernimus quod Dominus, Matth. cap. XXI. ad principes sacerdotum et seniores populi dixit: *Amen dico vobis, quia Publicani et meretrices præcedent vos in regno Dei*. Porro nunc videamus, quæ mysteria et arcana in hodierno evangelio recondita sint.

I. Cur Christus perambulavit civitatem Jericho? Resp. primo, ad litteram, quia per eam transire habuit in Jerusalem. In via enim quæ a Jordane Jerosolymam ducit, sita est hæc civitas; ideo Christus e regione, quæ trans Jordanem erat, rediens per illam habuit iter. Recte autem Christus secundus Adam de Jericho ascendit in Jerusalem, id est, de statu peccati ad statum gratiæ et gloriæ, quia primus Adam descenderat de Jerusalem ad Jericho, id est, de paradiso in exilium, de statu gratiæ et felicitatis in statum peccati et miseriæ, juxta parabolam illam Lucæ X. Adam de Jerusalem nos abduxit, Christus nos reduxit.

Secundo, mystice, quia Jericho mundi typus est. Primo, enim Jericho lunam significat: mundus autem lunæ instar mutabilis et inconstans est; modo prosperitatem affert, modo adversitatem; modo blanditur, modo adversatur.

Secundo, quia uti muri Jericho per sacerdotum tubas olim dejecti fuerunt, Jos. VI. ita mundus per apostolorum prædicationem devictus et Christo subjugatus est, unde ait Dominus: *Confidite, ego vici mundum*, Joan. XVI. Perambulavit ergo (Græce pertransiit) Christus Jericho, ut doceret nos mundum hunc instar peregrinorum solummodo transire: nec sedem in eo figere, sed per unam portam intrare, et per alteram exire; quod fit cum in mundum hunc ingressi, statim cogitare incipimus de egressu: et ad eum omnes nostras componimus actiones, et convertimus cogitationes: cum de eo nihil concupiscimus, cum omnia aspiciamus velut aliena et brevi transitura, etc. Scimus quid evenit illi Achæ, qui de subversa Jericho, contra præceptum Josue (quo omnia urbis spolia anathemati subjecta et rapi prohibita) furatus est regulam auream, pallium et ducentos siclos. Lapidibus enim obrutus est, et omnia quæ ipsius erant, igni tradita, Jos. VII. Præcipit etiam nobis Christus per apostolum suum Joannem, I. Joan. II. *Nolite diligere mundum neque ea, quæ in mundo sunt*.

Non desunt tamen Achænes, qui furantur regulam, dum spreta Dei voluntate, quæ aurea nostrarum actionum regula est, mundo potius ejusque legibus se accommodant, aut etiam proprio capiti; furantur pallium, qui omnia sua scelerata tegere et palliare norunt; furantur argentum, qui pecuniis inhiant, easque præter fas corrādunt. Ab his igitur abstinendum, nisi quis anathema et execrationem Dei incurrere ignique æterno tradivert.

II. Quomodo restaurata est Jericho contra illam severissimam imprecationem Josue: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et edificaverit civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciatur, et in novissimo liberorum ponatur portas ejus?* Jos. VI. Resp. ex III. Reg. XVI. instauratam ab Hiel de Bethel tempore Achab regis, sive ut placeret impio regi, quomodo aulici aliqui in gratiam principum suorum nihil non facere audent; sive quia: *Mitimus in vetitum semper cupis-musque negata*. Norant Adam et Eva formidandum illud: *Morte morieris*, Genes. II. nihilo tamen minus rapuerunt fructum vetitum: norunt testatorum executores, testatorum imprecationes; non desunt tamen, qui eas contemptui habeant: norunt fures et latrones patibula et rotas in omnium oculis defixas; sibi tamen ab iis non cavent: norunt perjuri et fœdifragi quas sibi sunt imprecati diras; eas tamen non horrent in se accersere: denique, nos omnes novimus gehennam gravibus decretam peccatis; quam pauci tamen ab iis sibi cavent? Existimavit forsitan Hiel imprecationem

Josue vanam et inanem esse, ab ira et crudelitate, non a Deo profectam; sed reipsa expertus est verissimam fuisse: *In Abiram enim primogenito suo posuit portas ejus, juxta verbum Domini*, III. Reg. XVI. hoc est: « Quando fundamenta, ait Rupertus cap. XX. in Josue, Hierichuntis jecit, statim mortuus et filius ejus primogenitus, et deinceps inter ædificandum paulatim secundum ordinem activitatis decedentibus filiis omnibus, ubi (quod novissimum erat) posuit portas ejus, mortuus est filius ejus novissimus, mira ambitione pertinaciam fulciente, ut ambiendo conditoris nomen, totum cum affectu perderet honoris honorem. »

Ita ergo eveniet suo tempore omnibus prævaricatoribus, quod comminatur eis Scriptura sacra, supplicium. Mystice reedificant urbem Jericho maledictam, primo, hæresiarchæ, qui cum a Bethel seu domo Dei, quæ est Ecclesia Christi, exierint, damnata jam dudum et anathemati subjecta dogmata revocant et docent, uti Lutherus, Zwinglius, Beza, Calvinus, similes.

Deinde, peccatores omnes, qui postquam in baptismo renuntiarunt diabolo et pompis ejus, quas debellavit Christus, iterum diabolo et mundo serviunt.

III. Quis fuit Zacchæus, gentilisne an Judæus? Resp. gentilem fuisse sentiunt Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Chrysostomus, Beda, Chrysologus: Judæum recentiores, Euthymius, Lyranus, Jansenius, Cajetanus; quod videtur probabilius, tum quia nomen ejus, Zacchæi, Hebræum est, et mundum seu purum significat, tum quia ab obtreccatoribus non carpitur ut ethnicus, sed ut peccator, tum quia in restituendo quadruplo Judæorum legem agnoscit, Exod. XXII. tum quia a Christo vocatur filius Abraham, tam scilicet quoad carnem, quam quoad spiritum et fidem vivam, qualis fuit Abraham fides.

Hinc ergo elucet virtus Zacchæi, qui suorum contribulium obtreccationes nihil veritus Christo se addixit, non curans quid propterea a civibus suis passurus esset. Nimirum mascula virtus in parvo enituit corpusculo. Non ergo contemnendi sunt, qui pusilli sunt statura: *Ne spernas hominem in visu suo*, ait Eccles. cap. XI. *Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus ejus*. Talis erat Zacchæus.

IV. Quid sycomorus? Resp. esse arborem fructu similem ficui, foliis autem moro. Cæterum fructus ingratos habet, qui non maturescunt, nisi ferro radantur, nec nisi in egestate a pauperibus colliguntur, ideoque velut hortis indignæ, in publicis tantum viis cernebantur. Non male

etiam alii ficum fatuam appellant, a Graeco *syce* ficus, et *moro*, id est, fatuus. Erat ergo hæc arbor in publica via, proinde idonea Zacchæo ad videndum Christum transeuntem.

Mystice sycomorus designat crucem Christi, quæ gentibus est stultitia, quæque a mundo repudiatur, quod fructus parum ei gratos ferat; interim tamen specula est ad videndum Christum apta: quare qui statura pusilli sunt, ita ut inter mundi strepitus Deo servire nequeant, in crucem illam ascendant, sive ingrediendo religionem, sive ad tempus includendo se ad faciendâ spiritualia exercitia, sive certo diei tempore subducendo se a sæculi curis, et vacando orationi et meditationi.

V. Quare Christus seipsum invitavit ad Zacchæum? S. Ambrosius, lib. VIII. in Lucam I. « Sciebatur enim, inquit, uberem hospitii sui esse mercedem. Cum seipsum invitat princeps opulentus ad pauperum monachorum prandium, nequaquam temere agit: solet enim communiter prandium suum afferre tam monachis quam sibi. Quis hunc non libenter susciperet? Summa ergo gratia est posse Deo dare; quia summam affert remunerationem. »

Secundo: *Etsi nondum vocem invitantis audierat, jam viderat affectum*, inquit S. Ambrosius. Magno se beneficio cumulandum existimabat Zacchæus, si videre saltem Christum posset; hospitem eum sperare non poterat, indignum se eo reputans. Vidit hanc mentem Christus, ideoque eam remunerat ampliore gratia et hospitem se præbet. Sic et latroni pœnitenti, qui sui tantum memoriam ab eo expetierat, donavit paradisum. Quare quo indigniore quisque se agnoscit gratia cœlesti; eo sit capaciôr ac dignior; quo magis se quis deprimit, eo magis extollitur.

Tertio, vidit suam præsentiam et diversionem necessariam esse Zacchæo, quemadmodum adventus medici necessarius est ægroperate laboranti: periisset domus Zacchæi, si Christum hospitem non habuisset. Hinc ergo dixit Dominus: *In domo tua oportet me manere*, non propter me, sed propter te intellige. Quare cum videmus aliquem de salute periclitari, succurrere ei docemur licet non vocati, licet forte etiam ingrati et molestissimi.

VI. Zacchæus quid et quantum dimisit? Resp. communiter Beda, Augustinus, Chrysologus, Euthymius, dimisisse eum omnia sua. Nam dimidium dedit pauperibus: e dimidio reliquo quadruplum restituit, quibus debuit. Unde admodum credibile est nihil ei reliquum fuisse, vel si quid fuit, etiam pauperibus donatum esse. Fitque id credibilius ex eo, quod episcopus postea creatus sit a S. Petro, ut scribit S. Clemens, lib. I. reco-

gnit. et, l. III. Signum ergo est Zacchæum amplexum esse persecutionem evangelicam: quantum porro suum in hoc non tam dimisit, quam mutavit: venabatur prius pecunias, postea vero animas: spoliabat prius homines, dum vectigalia emungebat, spoliavit postea dæmones, dum mancipia ejus abstraxit, et Christo mancipavit.

VII. Cur restituere voluerit in quadruplum? Resp. ut se legi Moysis accommodaret, quæ dicit: *Si quis furatus fuerit bovem aut ovem et occiderit vel vendiderit, quinque boves pro uno restituet, et quatuor oves pro una ove*, Exod. XXXIII. et II. Reg. XII. *Ovem reddet in quadruplum*. Voluit nimirum Deus, et in pœnam furis et in emolumentum domini, cui res ablata est, quadruplum restitui: et quia bos ablatus non solum majus furtum est furto ovis, sed præterea etiam herodamnosius ob agriculturam; ideo gravius punitum. Mystice bovem furatur, qui doctorem vel magistrum pervertit: ovem, qui discipulum vel auditorem.

Viderint porro hic qui ne ut simplum quidem restituant, adigi possunt quomodo coram Christo iudice aliquando staturi sint.

VIII. Solusne Zacchæus credidit in Christum, an simul tota ejus domus? Resp. ex sententia Euthymii et Cajetani, videri totam domum simul cum eo credidisse: tum quia ait Dominus: *Hodie huic domui salus facta est*; tum quia patremfamilias facile sequitur familia, uti patet Joan. IV. in domo reguli; Act. XVI. in domo custodis carceris et domo Lydia; Act. XVIII. in domo Crispi, quibuscum tota credidit familia. Quare felix censenda est ea domus, cui bonus præest paterfamilias. Ab hoc enim capite in cætera membra facile derivatur virtus, pietas, honestas morum, etc.

IX. Cur Zacchæus vocatur Abrahamæ filius? Resp. quia fidem et opera ejus imitatus eret. Videamus similitudinem. Abraham desiderabat videre diem Domini; Zacchæus cupiebat Jesum videre, quis esset: Abraham vidit, et gavisus est; Zacchæus vidit eundem, et excepit gaudens: Abraham suscepit Deum in hospitium cum angelis; Zacchæus suscepit eum cum discipulis: Abraham festinans, cucurrit, et paravit convivium; Zacchæus quoque festinans, descendit et excepit Christum convivio: Abraham dedit Deus benedictionem filii pro servitio exhibito; Zacchæo impertiit Christus salutem pro obsequio hospitali. Jactabant cæteri Judæi inanem suam prosepiam ex Abraham oriundam, fidem interim et mores Abraham nequaquam præ se ferebant: unde ad illos Dominus, Joan. VIII. *Si filii Abrahamæ estis, opera Abrahamæ facite*. Zacchæus vero inanis tituli

corticem aliis relinquit, ipse nucleum comedit, omnibus sapientior. Viderit ergo nostrum unusquisque, ne et ipse nomen Christiani frustra gerat. « Christianus est, inquit S. Augustinus, lib. de vita christiana, cap. XIV. qui Christum in omnibus imitatur, sicut scriptum est, I. Joan. II. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare; Christianus ille est, qui omnibus misericordiam facit, qui omnino non movetur injuria, qui opprimi pauperem se præsentem non patitur, qui miseris subvenit, qui indigentibus succurrit, qui cum merentibus meret, qui dolorem alterius sicut proprium sentit, qui ad fletum fletibus alienis provocatur, cujus domus communis est, cujus janua nemini clauditur, cujus mensam pauper nullus ignorat, cujus domus panis cunctis offertur, a quo nemo sentit

injuriam, qui Deo diu noctuque deservit, qui ejus præceptis indesinenter meditatur, qui pauper mundo efficitur, ut Deo locuples fiat, qui inter homines habetur inglorius, ut coram Deo et angelis ejus gloriosus appareat, qui in corde nihil videtur habere simulatum vel fictum, cujus simplex et immaculata est anima, cujus conscientia fidelis et pura est, cujus tota mens in Deo est, cujus omnis spes in Christo est, qui cœlestia potius quam terrena desiderat, qui humana spernit, et possit habere divina. » Hæc ille; quæ si in cujuscumque domo reperiantur, nã is est filius Abrahamæ verissimus; et domui ejus salus a Deo facta est, quam et mihi et vobis auditores, impertiat is, qui est unica salus et spes nostra Christus Jesus. Amen.